



SAN JUAN DIEGO  
24 OTTOBRE 2001

## DE SPONSALIBUS MYSTICIS

ANIMAE GEMINAE... VIR ET MULIER :  
LAICI, SACERDOTES ET RELIGIOSI - DE MATRIMONIO

Epistula a Conchiglia scripta  
ad Suam Sanctitatem Papam Benedictum XVI

Prot. 09.180 - 19.01.09

*Care Papa Benedicte XVI,*  
cari Sacerdotes, Episcopi et Cardinales

iuxta Revelationes quas accepi vobis mitto haec verba.

Sunt margaritae pretiosae, et res quam tractatura sum est lubrica valde, quapropter ero prudens in omni verbo. Secundum Revelationes quas accepi et adhuc accipio a Sanctissima Trinitate loquar de PARE: DE PARE « SPONSALIUM MYSTICORUM » IN FAMILIA ET IN ECCLESIA.

SI ECCLESIA CATHOLICA NON CONSIDERABIT HAEC VERBA DE « PARIBUS SPONSALIUM MYSTICORUM », PLURIMI SACERDOTES, VOLENTES DUCERE UXOREM, PERGENT EGREDI DE ECCLESIA.

Incipio dicens simpliciter quia Maria Sanctissima est exemplum imitandum in omnibus, etiam Sacerdotibus, viris mulieribusque religiosis. Iesus, ut descenderet de Caelo et homines adiret, elegit ventrem Immaculatum Mariae, quoniam nihil aliud accipere poterat « IMMACULATUM ».

Si vere cupitis intrare in Novam Terram venturam, estote pulchri intus, non solum extra, accipite tenere mulieres et viros iuxta statum vestrum, quoniam omnes semper indigent et indigebunt benigna et mutua teneritate. Amor quem Deus intellegit est amor summus, est amor omnium profundissimus, est Amor Dei qui se ostendit in humanitate.

Sensus femineus, particulariter, est privilegium quod donavit Deus creaturae Suae Mulieri. Per hunc sensum mulier auxilio magno esse potest homini familias et homini Sacerdoti, ut crescat et evolvatur. De sensu femineo loquor et mulieri familias et mulieri religiosae.

Modernismus occupavit locum sensus feminei, et effecit ut loco cederetur multis erroribus, qui damnum attulerunt homini et Sacerdoti in consiliis eorum, quoniam non adiuti a muliere, quam Deus in Omniscientia Sua posuit apud hominem, ut esset subsidium et solacium in itinere existentiali.

**CUR MARIA IMITANDA EST?**

Quoniam est mos iustus imitandus mulieri familias mulierique religiosae.

Mulier familias habet officia sua in familia et in societate.

Mulier religiosa, sanctimonialis, habet officia sua in Ecclesia neque flagitare debet quod ne Maria quidem flagitavit. Ordo Sacerdotii, Sanctae Missae celebratio, est ministerium solis hominibus Dei reservatum.

## MULIERES, SPONSAE IESU, SANCTIMONIALES.

Deus quaerit sacrum ubicumque mulier inveniatur, sed praesertim in Ecclesiis et in Monasteriis desiderat quia Consecratae magis honorent Se. Mulieres timere non debent ducere alios filios et filias ad Ecclesiam Veram, quae gradatim constituitur, in silentio et in abscondito.

Desidero percontari hoc a Sanctimonialibus:

cur, quaeso, iam non induimini pulcherrima veste vestra nuptiali?

Num non estis amplius Sponsae Iesu? Decurtastis gunnas et velamina et nunc factae estis similes famularum. Decora erat vestis vestra nuptialis. Iesum valde delectabat quoniam simillima erat eius qua Maria, Eius Mater, induebatur. Vos, Sponsas Iesu, oportet esse laetas et feroces quia Sponsam tantum habetis.

Mundus mulierum hodiernus captus est potestate et pecunia. Hodie mulier adhuc quaerunt virum divitem et quaerunt eum in "superioribus", inter homines potentes et munere praecipuo fungentes. Vos, autem, Sanctimoniales, nonne animadvertitis Sponsam vestram Deum esse? Vos, hodie, quomodo, putatis, Mariam Sanctissimam vixisse? Putatis quia, cum esset Mater Iesu, ipsa gauderet vel frueretur de singularibus beneficiis seu privilegiis? Minime, sorores meae.

**MARIA ERAT TAMQUAM IPSE, IN MUNDO... NON AUTEM DE MUNDO.**

Et sicut Ille, Ipsa se gerere et loqui debebat. Dignitas eius erat aequalis dignitatis Iesu, quoniam nolite oblivisci Maria fuisse Magistrum Ipsius, ad efficiendum eum Magistrum... ad efficiendum eum « **MAGISTRUM SUMMUM** ». Eum docuit multa, et Ipsum sustentavit et confirmavit in temporibus maioris doloris et difficultatis. Maria, Mulier in mulieribus, honeste abscondens se a mundo. Mulier Mater, Mulier Operosa, Mulier Consolatrix, Mulier Docilis, Oboediens et Simplex, ut esset exemplo omnibus mulieribus sicut Iesus exemplo fuit omnibus hominibus.

MARIA, SUMMA MULIER, usa est manibus suis ad operandum intus et extra domum suam, ad operam dandam et attendendum indigentibus. Ambulavit cum Iesu et post Iesum, percurrens viculos pulverulentos sub sole... et imber et ventus et labor ei non pepercerunt. Pater Aeternus et Sanctus et Omnipotens multa postulavit desiderans ostendere Semetipsum homini Creaturae Suae in parte Masculina et Feminina, in Iesu et in Maria. Nolite dissipare Amorem Iesu et Mariae, quem passi sunt et obtulerunt pro restitutione vestra et pro Salute vestra.

**ETENIM, SATANA, SERPENS, INSIDIATUS EST MULIERI POST CREATIONEM EIUS, CONFERENS ILLI ID QUOD SUUM ERAT, ID EST CONTEMPTIO DEI.**

Sanctitas, grave est...

nunc Deus Pater desiderat declarare Propositum initiale, aequam aestimationem Mulieris faciens, sicut eam cogitaverat in Origine, videlicet « pulcherrimum donum homini », non autem « tentationem hominis ». Solus Satana tentatio est, qui est divisor, mendax, homicida. Id quod spiritualiter coniungit « duas Animas Geminas » nonnumquam ignotus est ipsis. Est Donum Amoris Dei congressio eorum, ut in communi dolore et in communi cordis gaudio, amor eorum in Deum duplicetur. Animae quas Deus coniungit spiritualiter, sunt Animae Geminae, sunt umor vivificans Ecclesiam totam, quae ab eis beneficium sumit, accipiens illud quod sibi donatur pro suo incremento sapientiali. Ecclesia adhuc imberbis est ad intellegendum plene « Donum » quod Deus instituit afferre ei.

Sanctitas,

Donum Sponsalium Mysticorum EST DONUM UNICUM ET SINGULARE, quod, sicut omnes primitiae, gustandum est gradatim. De eo loquendum est ad eos qui percipere possunt lumen potentiae spiritualis ab ipso proveniens quodque est fructus praecipuus et rarus donatus a Patre.

Fructus eius est amor sponsalis, amor illibatus, amor supernaturalis, amor ignotus hominibus qui nesciunt etiam quid amare sibi velit.

Quoniam amare, denique, est donatio totalis sui alteri, solum autem si prius donatum est totaliter Deo. Tunc Deus permittit « nucleos trinitarios ». Solum tunc Iesus exaltat duos sponsores in conspectu Sui tamquam donum exclusivum Patri, quod autem Pater iam habet in Semetipso, quoniam omne quod homo habet in se, ad Eum pertinet eo quod id continet.

Iesus Glorificavit Patrem per ipsa merita Sua, composita ex Caritate, quoniam Deus est Caritas Perfecta, quae desiderat repercutere Se in Terra per filios Suos. Sicut in Caelo et in Terra.

Sanctitas,

humiliter desidero exaltare « humanitatem Iesu » per quam Pater Aeternus et Sanctus et Omnipotens se ostendit cum Iesu et Maria.

**ITA, IESUS ET MARIA AD FIGURANDAM PARTEM MASCULINAM ET PARTEM FEMININAM PATRIS, AD RURSUS SUBLEVANDUM AB ANIMALITATE HOMINEM EFFERATUM PROPTER PECCATUM ORIGINIS.**

Necesse erat interventus supremus Dei in discrimine temporis in quo ratio poterat docere hominem alium esse modum existendi et vivendi.

Sanctitas,

Sanctimonialibus et Sacerdotibus dico:

vos oportet donare Deo vestrum esse mulieris Religiosae et vestrum esse viri Sacerdotis, ut sitis vicissim, donum invicem. Vos oportet vivere in « castitate Animae » et corporis iuxta statum vestrum, et magna admiratione afficietis cum, solum ita, in Novam Terram Renovatam intrabitis.

**QUOD ANIMAE CASTITATEM?**

Castitas Animae est res absolute gravissima.

Castitas Animae regit vitam cuiusque vestrum in terra ad assequendam postea Gloriam in Caelo.

Castitas est in quoque vestrum qui attentus sit Voluntati Patris Caelestis qui omnia creavit ad utilitatem hominis. Castitas est res princeps in omni consuetudine coniugali atque nisi est castitas Animae, coniugium est sine ratione.

Castitas Animae exercenda est amando ex corde sincero, cum honore ac reverentia, omnes opportunitates quas Pater nobis suppeditat.

Trinitas tractare vult thema mordax quia sapientes scripserunt nimis et abundantius... ignorantes.

**CASTITAS EST INTENTIO RECTA ET MUNDA IN OMNIBUS GESTIBUS PERACTIS OB AMOREM ERGA ALIUM.**

**CASTITAS EST PRINCIPIUM TEMPORIS... REI QUAM ACTURI SUMUS.**

An scitis qua de causa Humanitas tam parum erudita est de rebus quae sunt Dei? Quoniam, probabiliter vos Sacerdotes non fecistis recte opus Evangelizationis et non obtemperavistis mandato, quod vobis Maria commisit.

Tamen eratis simul, in Cenaculo, cum descendit super Mariam et super Apostolos Spiritus Sanctus.

Porro vos Sacerdotes estis ipsi successores eorum. Nimii, cari Sacerdotes, estis causa inopiae Fidei in mundo.

**ERGO ALLOQUOR SACERDOTES, RELIGIOSOS ET RELIGIOSAS ATQUE QUAERO MAGNA CUM REVERENTIA: CUR REFRIXISTIS IN CORDE?**

Nonne ipsa vocatio vestra duxit vos ad Sacerdotium? De quo igitur querimini? Quid quaeritis? Cur querimini? Nonne erat Iesus exemplo, in operibus Suis? Ipse ibat per vias mundi et congregabat filios et fratres Suos. Quid autem facitis? Deicite horologia! Operam date filiis quos Deus mittit vobis ut succurratis eis.

NIMII VESTRUM... NON SE GERUNT UT SACERDOTES.

Non geritis vos ut Sacerdotes sed tales estis quodcumque vultis; quid igitur faciendum est? Non potestis duobus dominis servire, aut Deo aut societati hodiernae.

Maesta sum et multum doleo quoniam audio verba vestra, audio sermones vestros in Ecclesiis et video quomodo vos geratis in plebe.

Ne imaginari quidem potestis quantum doleam videndo vos tempus pretiosum terere, quo uti potestis ad adducendas alias Animas ad Deum.

LOQUIMINI DE REBUS MUNDI UT SITIS IN DIES SIMILIORES HOMINIBUS MULIERIBUSQUE MUNDANIS, NOLITE IGITUR ADMIRARI CUM DEUS SUMIT HOMINES ET MULIERES DE MUNDO EOSQUE TRANSFORMAT... EFFICIENS EOS IN DIES SIMILIORES SACERDOTIBUS, ATQUE VIRIS MULIERIBUSQUE RELIGIOSIS.

Cur admiramini officium Conchiglia?

Mulieribus numquam licebit esse Sacerdotes ad Altare, sed possunt, ex Dei voluntate, exercere missionem sacerdotalem, ut adducant ad vos, Sacerdotes, viros mulieresque religiosos, Animas quas sinunt se conduci et adiuvari.

Vos omnes Consecrati, primi debetis immolare vos hostias ad salutem fratrum errantium, immo diligitis commoda, reverentias et privilegia sicut olim.

PROPTEREA PATER PROVIDIT PROPOSITUM NECESSITATIS, MANDANS FILIIS UT VINEAM SUAM CUSTODIRENT ET COLERENT.

SCRIPTUM EST IN CANTICO CANTICORUM.

Si legitis Canticum Canticorum, «SPONSIS MYSTICIS» Deus Pater mandavit ut defenderent Vineam Suam, quae est Ecclesia. Maria, autem, Sponsa Mystica in Excelsis, est primum exemplum imitandum. Et qui imitabitur Mariam cum Ipsa *Magnificat* cantabit. Etiam nunc Sanctissima Trinitas locuta es mulieri cuidam, mihi Conchiglia, sub patrocinio Mariae Sanctissimae, Nostrae Dominae Guadalupiae, Mulieris Apocalypsis, quod interpretatur Mulier Revelationis.

« Sponsalia Mystica » fieri possunt et in mundo in paribus communibus, et in Ecclesia inter Consecratos. Quisque cum suis proprietatibus moralibus iuxta statum suum:

- laici, paria communia, « Sponsi Mystici » qui matrimonio coniungentur et oboedient mandato Domini procreandi et implendi Terram.
- Consecrati, Sacerdotes, Religiosi viri et Religiosae mulieres omnis ordinis et gradus, qui Vota sua professi sunt in Ecclesia Catholica, « Sponsi Mystici » qui oboedient mandato Domini servientes Ecclesiae.

Satana odit Sponsalia Mystica quoniam restituunt paria sicut ea praedestinavit Deus in Voluntate Sua. Sponsalia Mystica sunt primitiae sanctae quae gradatim expandentur afferentes fructum, qui in universo mundo esse poterit, atque quod Deus coniungit nemo separare potest, idque validum est in aeternum.

Filii qui nascuntur de unionibus sponsalibus, scilicet spiritualibus, sunt filii Lucis, filii omnino Dei, qui sequentur illos parentes spirituales, ut habeant abundanter panem et lac spiritualia quae erunt sibi alimentum.

#### QUI SUNT SPONSI MYSTICI?

Sunt vir et mulier electi ac voliti a Deo ut ducant populum Dei, in viam quae fert in Deum. Sunt par liberorum qui amant Deum ex toto se, super omnia, iterum dico, super omnia.

Inter eos sunt « VIR QUIDAM ET MULIER QUAEDAM » destinati ad ducendum omnia paria Sponsorum Mysticorum, quoniam electi sunt a Deo ad hoc propositum, videlicet ad docendum ceteros Sponsos Mysticos id quod Deus quaerebat ab homine et muliere in Principio Creationis.

Nihil de eo quod nunc imaginamini Sponsi Mystici repraesentant humane, nolite igitur suspicari aut comparare, quoniam Iesus velat et abscondit id quod nunc velandum et abscondendum est. Si quid his abundantius, superbia vestra esset.

Sponsorum Mysticorum est mandatum, missio et amor custodiendi vineam Domini quae est Sancta Ecclesia, Una, Catholica, Apostolica, Romana atque a Deo in omnibus ducuntur. Sponsi Mystici habent in se « semen » quod Deus in iis posuit usque ab Origine et crescit post ortum in Terra.

Unus duorum, aut ipse aut ipsa, habet Donum singulare a Deo acceptum: audit Vocem Dei, et per Vocem illam mundo nuntiat Voluntatem Dei.

SPONSI MYSTICI NON SUNT PARIA COMMUNIA QUAE IN CASTITATE VIVUNT.  
SPONSI MYSTICI SUNT RARITAS EXCELSA, A DEO DESIGNATA, AD DUCENDUM  
POPULUM DEI IN NOVAM TERRAM RENOVATAM, UBI VIVETUR SICUT DEUS  
STATUERAT IN ORIGINE, CUM CREAVIT PRIMUM HOMINEM ET PRIMAM MULIEREM:  
ADAM ET MULIEREM INSONTEM.

Nolite admirari nimis propter haec Verba admodum perspicua, quoniam id dixi, agitur selectio in selectione. Ad intrandum in Novam Terram Renovatam via erit amor, amor autem quem Deus intellegit nihil aliud est quam puritas corporis et cordis, propterea dictum est quoniam in Novissimis Temporibus qui habet uxorem vivere debet tamquam non habens sit.

Ex Epistula prima Sancti Pauli ad Corinthios ( 1 Cor 7, 29 ) :

Hoc itaque dico, fratres, tempus brevium est; reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint.

Quam multi ex vobis perturbantur ad haec Verba. Tamen omnia scripta sunt in Sancto Evangelio. Vosne autem legitis illud? Idne meditamini?

Nomen meum est « Conchiglia ».

Nemini Sanctissima Trinitas dedit nomen quod reservavit mihi. Deus scit quia stupeo semper ad Verba Sua atque adhuc animadvertere vere debeo quia mihi Deus dedit custodiendum « Sacramentum Regis », quoniam a « concha » quadam in Principio Vita generata est.

Concha ipsa continet in se Sacramentum Regis.

Scio, obstupefaciens est hoc Mysterium nondum revelatum, ne ego quidem valeo aestimare immanitatem eius, sed propter hoc ipsum Aspectus Patris super me requievit.

Haec est etiam causa cur oderunt me, mihi aemulantur, me calumniantur, et me persequuntur quotidie.

Iam sunt novem anni.

SANCTISSIMA TRINITAS, DESIDERAT, AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM SUAM...  
TRINITATEM HUMANAM. VIRUM ET MULIEREM QUOSDAM, ANIMAS GEMINAS, QUI  
SINT CONCORDES ET CONSENTIANT DEO IN PROPOSITO QUODAM AMORIS.

SANCTISSIMA TRINITAS DESIDERAT NUCLEOS TRINITARIOS IN TERRA... PARIA  
«SPONSORUM MYSTICORUM » QUAE ECCLESIA CATHOLICA ADMODUM NOVIT:

Sanctum Paulum et Sanctam Teclam  
Sanctum Franciscum et Sanctam Claram Asisiensem  
Sanctum Vincentium a Paulo et Sanctam Ludovicam de Marillac  
Sanctum Franciscum de Sales et Sanctam Ioannam de Chantal  
Sanctam Catharinam Genuensem et Cattaneum Marabotto (eius confessarium et moderatorem spiritualem)  
Sanctam Paulam Romanam et Sanctum Hyeronimum  
Sanctum Benedictum et Sanctam Scolasticam  
Sanctum Venantium Fortunatum, Episcopum Pictaviensem, et Sanctam Radegundam, Reginam Franciae  
Sanctam Catharinam Senensem et Fratrem Raymundum de Capua  
Sanctam Teresiam de Avila et Sanctum Iohannem a Cruce  
Sanctum Pium de Pietrelcina et Cleonicem Morcaldi... et alios.

Sanctitas,

Vos nostis bene calamitatem quae affecit Ecclesiam.

SACERDOTES MILLENI DISCESSERUNT AB ECCLESIA CATHOLICA AD DUCENDUM  
UXOREM ET ADHUC HODIE PLURIMI DISCEDUNT AB EA.

Alloquor Sacerdotes. Venit tempus ad demonstrandum Iesu et mundo fidelitatem eorum.  
Ecclesia hodie est Societas Pyramidis instar et vos estis illi qui basim formatis, idcirco ex  
consequencia logica super vos fertis totum onus eorum qui vobis impendent. Effecerunt vos infirmos  
et impotentes exercendi bene Sacerdotium vestrum propter illud onus.

Cogitate autem, Sacerdotes, si obtemperatis Mihi cunctique simul vos movetis ut basis, omne quod  
impendet vacillabit et animadvertet vos non esse tam parvi momenti atque inutiles sicut volunt ut  
putetis. Basis ipsa Pyramidem sustinet, vosmetipsi permittitis verticibus nimiam potestatem habere.  
Dicitis:tamen Sanctus Pater cooperatores suos elegit. Et Ego dico vobis: Sanctus Pater bene explevit  
officium suum eligendo nonnullos cooperatores, cuique dando mandatum eius. Attamen isti  
Sacerdotes cum pilleis coloratis... officium suum non faciunt mandatum suum non observant et  
omnia haec Sanctum Patrem celant neque ei oboediunt. Miseriae graves quae circumferuntur in  
Vaticano constanter Sancto Patri occultantur. IPSE ALIQUID COGNOSCIT CUM GRAVITAS  
RERUM E MANIBUS EORUM EFFUGIT.

Iniquitates quae perficiuntur et perpetuantur in Vaticano pervenerunt ad summum et eventurum est  
illud quod Pueri Fatimae dixerunt et audierunt a Matre Dei quae est Mater Ecclesiae. Inferi non  
praevalerunt adversus eam sed daemones qui sunt intus et agunt per nimios purpuratos impuros  
corpore et corde, operantur ut damna quam maxime afferant, efficiendo dispersionem Animarum  
quae, cum scandalizentur, iam non intrant in Ecclesias atque dispersionem vestram, Sacerdotum, qui,  
affecti taedio iniuriarum eiusque quod videtis et patimini... eo pervenitis ut Vestem et Vota  
Sacerdotalia exuatis. MILLENI DE SACERDOTIO VESTRO DISCESSISTIS et dispersi estis in  
mundo qui cum videret vos inter « eos » amisit firmamenta quae aequilibrium spirituale dabant eis.

REVERA ILLUD AEQUILIBRIUM SPIRITUALE VOS PRIMI AMISISTIS.

Milia vestrum... AMISERUNT IDENTITATEM SUAM ET MAESTI SUNT IN CORDE QUONIAM ANIMADVERTUNT SE ESSE HOMINES DIMIDIATOS. Ita... homines dimidiatos qui etsi duxerunt uxorem et genuerunt liberos, - multos autem eorum cognovi- utcumque sunt Sacerdotes in Aeternum fraudati in profundo. Sunt homines dimidiati quoniam homines mundani eos respiciunt diffidenter et eorum sermoni non credunt.

SI IPSI SACERDOTES FIDUCIAM NON HABENT IN DEUM QUI PER EOS POTEST RENOVARE OMNIA... QUID ACCIDET ECCLESIAE? HOC EGO DICO VOBIS: ECCLESIA CONTUMELIÀ AFFICIETUR... MULCABITUR... VULNERABITUR... SPERNETUR... ET RUINAE INDUCENT EOS QUI INTUS SUNT AD FUGIENDUM ET QUI FUGERIT AB EA ERIT PRAEDA FACILIS DIABOLI QUI PER SECTAS PERICULOSISSIMAS EOS EXCIPIET UT POSTEA OCCIDAT IN ANIMA.

Cari Sacerdotes,

CRISIS ECCLESIAE EST IN EFFECTU. IAM MANIFESTA EST.

DAMNA SUNT GRAVISSIMA..

DEUS VOBISCUM EST ... A QUO TREPIDATIS? CUNCTI SIMUL CONSURGERE DEBETIS AD DEFENSIONEM DEI, AD DEFENSIONEM VALORUM VERORUM QUOS IESUS DOCUIT VOS, QUOS AUTEM IPSI... POTENTES NON ADHIBENT NISI TANTUM VOBIS. VOS, SACERDOTES FIDELES... ESTIS VIS QUAM IESUS SIBI RESERVAVIT IN HAEC EXTREMA TEMPORA MALA AD INSTRUENDOS VOS AD PROELIUM SUB DUCTU ET PROTECTIONE MARIAE ECCLESIAE MATRIS QUAE MOTUM CARITATIS SANCTUS IOANNES DIDACUS EFFECIT PALLIUM SUUM, QUOD IN IPSO VOS OMNES CONTINEBIT. Proelium autem spectat ad defendendum omne quod Iesus docuit... ad defendendum Doctrinam Eius, ad exercendum Virtutes, ad clamandum mundo quia Iesus est Vivus... Verus et Praesens in Sancta Eucharistia in Communionem cum Sancto Patre Benedicto XVI. DEBETIS UNIRE VOS AD REVOLUTIONEM QUAE SANCTA ESSE DEBET, UTENDO ARMIS QUAE IESUS DEDIT VOBIS ID EST PRAECEPTA EIUS... ET FACERE EA AD IMITATIONEM SUAM.

Ut haec omnia faciatis vacare debetis ad recogitandum et meditandum, Spiritum Sanctum invocando et Spiritus Sanctus illuminabit mentem vestram et cor vestrum.

FIDES ET RATIO VOS CONDUCENT SUPER SEMITAM QUAM IESUS VOBIS PARAVIT PER ME, CONCHIGLIA, QUAE AMO VOS VALDE ET DONAVI IESU VITAM MEAM PRO OMNIBUS VOBIS, UT ECCLESIA UNA SANCTA CATHOLICA APOSTOLICA A SANCTO PATRE BENEDICTO XVI DUCTA FULGEAT IN LUCE TRIUMPHI IESU ET IN TRIUMPHO MATRIS EIUS MARIAE.

MULIER, IPSA SEMPER GENERAT ET FIT MATER.

MARIA MATER ECCLESIAE, intendit generare NOVAM ECCLESIAM quae est semper eadem Ecclesia Iesu Filii Eius, sed renovata, tollendo de medio illos filios Sacerdotes qui foedaverunt et deformaverunt vultum eius.

Archiepiscopus quidam invitavit me ad sacellum privatum suam Romae, quoniam cupiebat cognoscere Voluntatem Dei de Sacerdotibus qui uxorem duxerunt. De hoc, genibus flexis coram ipso, Archiepiscopo Ecclesiae Catholicae, hanc Revelationem accepi:

*“ Fili Mi amatissime... tu quippe scis quia multa... plurima matrimonia non sunt valida coram me qui sum Deus, quoniam ubi non est amor verus sui que oblatio, par non habet Deum in se. Si autem non est « nucleus trinitarius » videlicet « vir et mulier quidam in Me »... PAR ILLUD NON HABET RATIONEM ESSENDI! Tu fili, ut Sacerdos Meus... vales distinguere par « sponsorum diligentium Deum », tunc igitur in eo solo casu... eos coniunges in abscondito... absconditum quod manebit in cordibus vestris, sicque erit in Caelo sicut in Terra.*

*Quod attinet ad Sacerdotes qui matrimonium contraxerunt... sed in corde sunt in Me quoniam in Me semper sunt... si desiderant exercere Sacerdotium suum in abscondito familiae suae... observare debent castitatem matrimonialem, melius autem est ut possint acceptare convivere more fraterno.”*

« Revelatio » quae ad Conchiglia data est die XXV septembris anno MMIV - Iesus  
Ex opere cui inscriptio « Gratus rediisti Mi Domine » Vol. VIII, pag. 465.

\* \* \*

## DE MATRIMONIO

Cari fratres et carae sorores,  
Nuptiae Canenses, in Sancto Evangelio, vos monent Matrimonium sacrum esse.

TOTUM ESSE CORPORIS VESTRI FACTUM EST AD AMANDUM, LAUDANDUM ET GLORIFICANDUM DEUM PATREM.

Magnum est amare invicem vere, dare se invicem ex amore infinito, semper autem parum est si comparatur cum Amore quem Deus in vos sentit.

SE DONARE SIBI VULT COMMUNICARE INVICEM AMOREM, SED SEMPER OBSERVANDO VINCULUM SACRUM QUOD EST MATRIMONIUM A DEO VOLITUM.

DEUS ANHELAT VIDERE ET SENTIRE AMOREM QUI ORITUR INTER OMNES HOMINES.

Amando se invicem ad morem Dei, nihil aliud cogitatur quam laetitia, itaque exstinguitur omne malum quod est in Terra. Donate vobis invicem dona amoris quae Deus cuique vestrum dedit. Crescite numero ut Terram impleatis, quae numquam finem habebit sicut stulti dicunt. Longum erit tempus ad utilitatem vestram usque ad tempus iam a Patre statutum.

Non res publica mundi efficit coniugium.

Etsi in Ecclesia celebrantur, plurima matrimonia non sunt valida in conspectu Dei, quoniam ubi non est amor verus sui que donatio, par non habet Deum in se. Si autem non est « nucleus trinitarius », videlicet vir et mulier quidam in Deo, PAR NON HABET RATIONEM ESSENDI.



NON SCRIPTA SOCIETATIS CONSOLIDANT AMOREM, SED COR, QUOD EST SEDES AMORIS. VENIET TEMPUS IN QUO IAM NON OPUS ERIT SPONSIONIBUS SCRIPTIS, quoniam matrimonia vera in corde oriuntur, et cum in Mundum Novum intrabit solum qui amat ex corde, verbum “amor” erit sponsio pro omnibus rebus.

Loquimur de amore quod ex corde oritur, ubi concurrunt motus animi viri mulierisque cuiusdam. Loquimur de amore sincero, compositus etiam ex reverentia et observantia mutua, compositus ex parvis gestibus quotidianis, compositus ex oratione et caritate erga alios, compositus ex laude et gratiarum actione Deo Patri. Eos oportet petere Gratiam ut possint constituere familiam sanctam, antequam cognoscant virum aut mulierem et commendare se in manus Domini, qui amat rogari et consuli de sanctis consiliis quae ad vitam vestram vel futuram vitam coniugalem pertinent. Dominus Iesus sanctificavit unionem viri et mulieris eam efficiens Sacramentum per Matrimonium, ut illud sanctum vinculum constitueret familiam sanctam. Deus ipse est Amor... et sine Deo homo vivere non potest at ne solus quidem vivere potest... eo quod est contra naturam. Etenim cum Deus creavit Adam dixit: «Non est bonum esse hominem solum ». Etiam natura bestiarum herbarumque coniugale aequilibrium servat atque totum aequilibrium constat multiplicatione et propagatione hominum et bestiarum herbarumque generum. DEO IPSI EST PARS MASCULINA ET FEMININA:IPSE EST SIMUL PATER ET MATER.

Iesus dicit: *Qui amat Me et sequitur Me, maiora meorum faciet...* Hoc autem ad exaltandum mirabiliter hominem et mulierem, liberos Dei. Fides permittit videre ultra realitatem, oculis cordis, quoniam omne quod Iesus dixit... erit. Tamen dolor mundi augebitur et ille dolor faciet ut homo intelligat omnes errores admissos. Solummodo in illo tempore genua flectet ad veniam petendam ac dolorem accipiet ad purificationem sibi et ceteris.

Omnia fieri possunt per amorem. Cum vir et mulier grati sunt invicem inter eos scintillam amoris editur. Deinde... sensim crescit... quoadusque fiat amor magnus. Nonnumquam fit immediate nonnumquam dies pauci sufficiunt, nonnumquam aliquid pluris, amor autem est, valde!

Et vos, mulieres, habitum mutatis. Utique bene habetis vos, magis gaudetis. Tempus consistit, cor palpitat vehementius solum novam cogitando congressionem. Delectare curatur, alterum beneficiis afficere, verbis et gestibus, compositis ex plurimis curis. Vox tonum mutat, fit sicut puerorum et omnis gestus est placidus et omnia nos circumstantia pulchriora sunt et convenientia. Natura autem nos rapit suaveolentiis suis et coloribus suis et vellemus ut haec beatitudinis condicio numquam desineret! Nonne, sorores carae? Vere bonum est... amare atque amari! Hoc autem est quod accidit in Terra. Ergo conamini paulisper tantum imaginari millies multiplicata atque millies haec sentimenta quae fient in vita nova ventura. Ita, quoniam solus qui Deum amare scit cum reverentia verecunda de ipsis Manibus Eius suscipiet haec Dona Caritatis Supernaturalis.

Cari fratres et carae sorores, nunc in tempora futura doceo vos, quoniam in tempore « inordinationis totalis » debetis sustinere et approbare leges iniquas et deliras, aut soli curare ut confirmetur omnis generis amor. Num Deus, ad amandum et spondendum amorem, indiget litteris et tabulis? Minime. Et sicut Deus dicit vobis quia amat vos et Amorem demonstrat vobis, sic facietis cum Deo et inter vos.

Eheu nimii Sacerdotes ante pecuniam subdole oblatam claudunt oculos, aures et mentem et cor in conspectu offerentis. HODIE ETIAM MAGIS QUAM HERI TRANSACTIONES ET PACTA SPIRITUALIA FERVENT!

Ecce igitur “absolutiones” fiunt nimis faciles pro peccatis gravissimis quae confessi sunt sine vera paenitentia. Ecce igitur nimia matrimonia annullantur propter causas futes cumque falsis testibus ipsorum tacito consensu. Quod autem attinet ad Matrimonia nimiae sunt res quae non fiunt sicut Deus statuit. Lex Dei non est negligenda pro lege hominum.

QUICUMQUE IN ECCLESIA CATHOLICA IMMUTAVERIT LEGEM MEAM TREMENDAS RESPONSALITATES SUSCIPIET. Et Sacerdotes qui accipient sine contradictione Legem Dei mutatam et exercebunt eam in sua Paroecia purgantes se propter oboedientiam erga Episcopum suum, quae hic non est rata ante oculos Dei, rei erunt omnis Animae quam in errorem induxerint.

Venturus Mundus erit puris corde, luxuria et libido deerunt, inerit amor spiritualis etiam inter paria et liberi nascituri orientur ex desiderio puro. Nolite obstupefieri de hoc quod dico vobis, Ioannes iam sciebat, sed Domini iussu tacuit super hoc. In illo tempore homines non poterant intellegere ea quae Deus facturus erat in universis rebus creatis.

Paria quorum Matrimonium in discrimine est Mariam et Iosephum imitari debent. Scio difficile esse imitari eos, sed contendite et Iesus adiuvabit vos. Reverentiam et amorem inter se habebant, puritatem Animae, corporis et cordis, quae simul coniuncta, efficiebant rosam delicatam et odoriferam Deo Creatori.

MAGNI MOMENTI EST CASTITAS ANIMAE.

Si inest « intentio » faciendi res cum amore ad gloriam Dei, tunc igitur illa est castitas.

*Castitas... non est corporis virginitas*, quoniam corpus factum est ad vivendum in plenitudine Animae et spiritus. Plenitudo non potest esse si separamus corpus ab Anima et spiritu. Omnia Deus creavit in aequilibrio rerum quae Universum componunt. Sine aequilibrio nihil esse potest. Castitas est distinctio in pare illo quod ponit totam condicionem suam ad Gloriam Dei. Multae sunt declarationes de falsa castitate.

CASTITAS EST VELUTI PELLICULA CURRENS UBI SCRIPTA EST OMNIS ACTIO VESTRA VITAE VESTRAE.

Adhibete intellectum et cor atque conamini imaginari consuetudinem Mariae cum Ioseph, quem multos per annos apud se habuit. Eorum castitas reciproca, non carebat teneritate mutua, blanditiis puris et osculis castis. Omnia similia erant amori quem sentiunt pueri in corde integro et puro; hoc autem factum est in longitudinem annorum in itinere cum Iesu, qui Oculis Suis videbat duos parentes diligentes invicem, qui amabant invicem in spiritu, in Deo.

Quodam die, anno MMI, Iesus dixit mihi:

*Considerate Ecclesiam Meam, ex piis sanctisque mulieribus compositam, atque semper mementote... de iis quae erant sub Cruce Mea. Non erant docti nec sapientes, et Apostoli abierunt. Ipsae manserunt... mulieres Meae. Conchiglia, per te Vocem Meam audiri faciam. Legi cor tuum, Ego cor omnium lego. Nihil mihi ignotum est de vobis. Cum ipsis nihilonibus meis facio mirabilia maxima. Ex pannis facio lina pretiosa et serica laudata, quae splendent et in luce solis et in umbra lunae, et non solum ...quoniam in textilibus illis mirificis etiam stellae refulgent.*

\* \* \*

10

CONCHIGLIA - MOVIMENTO D'AMORE SAN JUAN DIEGO - casella postale 99 - 33085 PN - ITALIA

dedicato a Maria Santissima Nostra Signora di Guadalupe, rivolto a Sacerdoti, Carismatici, Scienziati e aperto a tutti gratuitamente.  
Roma-Vicenza (Italia) - Messico-Francia-Argentina-Spagna-Alaska-Austria-Bolivia-Brasile-Burundi-California-Canada-Cile-Colombia-Costarica-Croazia  
Ecuador-Egitto-Estonia-Florida-Filippine-Germania-Giappone-Haiti-Inghilterra-India-Irlanda-Islanda-Israele-Lettonia-Liechtenstein-Kazakistan-Kenia  
New Jersey-Nicaragua-Norvegia-Olanda-Panama-Paraguay-Perù-Polonia-Portogallo-S.Marino-Svizzera-Texas-Togo-Ucraina-Ungheria-Uruguay-Venezuela  
e-mail : [movimentodamoresanjuandiego@conchiglia.net](mailto:movimentodamoresanjuandiego@conchiglia.net) - tel. (0039) 333.36.27.194 [www.conchiglia.net](http://www.conchiglia.net) [www.dozule.org](http://www.dozule.org)

## DE ANIMABUS GEMINIS

Cari fratres et carae sorores,

per « Revelationem » quae ad Conchiglia data est haec explanantur: Anima de Caelo vadit ad Terra et induitur carne ad facienda opera Dei si usque ab origine elegit amare Deum ac servire ei qui ipsam creavit ad Imaginem et Similitudinem Suam.

Anima de Caelo vadit ad Terram et induitur carne ad facienda opera Satanae si usque ab origine elegit non amare Deum et servire Satanae.

Anima aeterna est. Quid autem est illa res arcana quae est Anima? Anima est Creatio Dei in re invisibili ad Imaginem et Similitudinem Eius, qui cum eligat cooperari in Proposito Dei in Terra, se impendit omnimodo ut placeat Ei et adiuvet Eum sanctis exemplis operibusque bonis ad utilitatem fratrum, ambitus et humani generis.

Quoad quaestionem de loco praecipuo vitae dici potest hoc:

**COR EST CORPORI SICUT « ANIMI AFFECTUS-SENTIMENTUM » EST ANIMAE.**

Etenim in re visibili « cor » vivificat corpus, cum autem in re invisibili « animi affectus-sentimentum » vivificet Animam. Si autem « animi affectus-sentimentum » implicat Animam, Anima dolet aut gaudet communicans omnia cum corpore, quod visibiliter se ostendit dolens aut gaudens.

Nempe, Animae quae elegit servire Satanae omnia sunt e contrario et in odium.

Loquamur autem adhuc de Anima. Ipsa omnia noverat antequam indueretur carne atque immortalis est, videlicet postquam a Deo creata est non moritur sed vivet semper aut in gaudio aut in damnatione, iuxta voluntatem et optiones vitae hominis consequentes.

Cum Deus Pater creavit Animas creavit eas ad Imaginem et Similitudinem Suam in Essentia et in Caritate quam in se habiturae erant.

Eo quod creatae sunt ad Imaginem et Similitudinem Dei, creavit in Animabus partem masculinam et partem femininam.

**ANIMA IGITUR HABEBAT IN SE DUAS PARTES: MASCULINAM ET FEMININAM.**

Ergo Iesus et Maria sunt in Terra repraesentatio Perfecta partis Masculinae et Femininae Dei. Una Anima scissa propter Voluntatem Patris ad Imitationem Dei, qui in Se habet partem Masculinam et partem Femininam, quae per Iesum et Mariam, « ANIMAS GEMINAS », mundo demonstratae sunt

Animae creatae sunt cum voluntate sua independenti.

Iesus et Maria sunt exemplum huius rei:

duae Personae distinctae cum Voluntate et Ratione distinctis in Una Essentia... Una Anima in duobus partibus: Animae Geminae.

**PERTURBATIO COEPIT POST PRIMUM PAR CREATUM, VIDELICET VIRUM ADAM ET MULIEREM INNOCENTEM.** Ipsi erant Animae Geminae. Et ex iis provenire debebant filii et filiae vicissim Animae Geminae.

Adhuc agitur mixtura diabolica quae hybridationem Hominis inchoavit, involutionem Hominis efficiens, quamquam ab involutione Homo deinde evolutus est ad id quod Homo est hodie.

Animae geminae sibi complementares quoniam Deus Pater omnia creavit bina atque in Ordine Perfecto. Ordo depravatus est ab Adam et propterea in humanitate perturbatio regnat.

Haec autem perturbatio continuabitur donec omnis anima cum anima sua gemina coniungatur et hae animae quaerunt se invicem magnam efficientes perturbationem.

Hoc est causa divortiorum.

Fit quasi sitis partes operis tessellati, duae partes perfecte inter se congruere debent, alioquin non fit commissura. Hoc opus tessellatum scilicet humanitas, propter peccatum originale permixtum est et ab illo tempore tessellae, quae in hac re sunt animae, quaerunt ut inveniunt se invicem et sic forment imaginem quam Deus Pater in Origine fecerat.

*Care Papa Benedicte XVI, Sanctitas,*

cari Sacerdotes, Episcopi et Cardinales,

Maria Sanctissima, Nostra Domina Guadalupiana repraesentatur in Terra a me, Conchiglia, Ancilla Eius. Cur hoc perturbat vos?

Nonne vos, Sacerdotes, repraesentatis Iesum, qui est Deus... in Terra?

Ego quoque consecrata sum, consecrata a Sanctissima Trinitate.

Vobis sunt manus consecratae, mihi autem, est cor consecratum.

Deus Ipse semper consecrat liberos, quos mittit ad donandum Verbum Suum universo mundo.

Vos omnes, Sacerdotes, Episcopi et Cardinales existitis, Ecclesia Una Sancta Catholica et Apostolica existit quoniam Prophetas, scilicet consecrati a Deo, Verbum Dei audacter mundo attulerunt, vitam suam in discrimen adducetes.

Ecclesia tota fundata est super Prophetas, hoc autem bene nostis.

Nonne meministis quomodo calumniati sint Iesum?

**SUPERVACUE POCULUM QUOD REPRAESENTO ETIAM A VOBIS FOEDATUR.**

Sanctissima Trinitas pergit fundere in hoc poculum aquam frigidam sitimque exstinguentem quotiescumque vult. **ET QUI VERE SITIT... BIBET.**

Num Apostoli Iesu, quos hodie repraesentatis, erant pocula crystallina pura et limpida?

**MINIME!**

Erant pocula sordida eo quod peccatores, quos Iesus, cum patientia et amore, detersit donec splendere eos faceret. Vos autem qui estis totidem pocula, continentes in vobis Verbum Dei, ut effundatis illud super gregem quem vobis commissus est, num estis pocula munda? Num splendetis tamquam crystallum?

Nonne Ecclesia docet orare Mariam « **ADVOCATAM** »?

Ipsa igitur mea quoque Advocata est, atque apud me est, ad defendendum me ante universum mundum, propter Voluntatem Divinam.

Pater ipse hoc a Maria petiit, quoniam Pater liberos Suos numquam derelinquit.

Sanctitas,

veniam peto, tamen nimii Sacerdotes, Episcopi et Cardinales utuntur sola ratione atque non audiunt vocem cordis.

Iam non valent audire Vocem Dei cordibus suis loquentis.

Sanctitas,

sicut dixit Sacerdos Stephanus (Stefano) Gobbi, si Maria Sanctissima non audisset nec fecisset id quod Deus, per Archangelum Sanctum Gabrielem ab ipsa in Annuntiatione petiit, Iesus non natus esset et humani generis Redemptio adhuc longe esset.

Sanctitas,  
iuxta cogitationem Episcopi mei, Maria Sanctissima Ecclesiae aetatis suae non oboediisse videtur,  
cum autem ego oboedii Ecclesiae aetatis meae per ipsum...

Sanctitas,  
homines utuntur libertate sua ad blasphemandum Deum et Mariam Sanctissimam, sed Conchiglia non  
licet glorificare Mariam iussu et Voluntate Dei.

Sanctitas,  
homines possunt scribere in commentariis, in libris et vulgare in interreti omnia quae sunt turpia,  
pornographiam inclusive, Conchiglia autem non licet vulgare Revelationes, Verba Amoris Dei pro  
Eius Populo qui in immenso periculo versatur.

Sanctitas,  
homines se milliens millenos interficiunt invicem in bellis in universo mundo, persequuntur invicem  
propter religiones, occidunt pueros innocentes abortione... Conchiglia autem pati debet iniurias non  
defendens se.

Sanctitas,  
Vos nostis decretum Congregationis pro Doctrina Fidei (Acta Apostolicae Sedis - A.A.S. n°58 die  
XXIX Decembris anno MCMLXVI) abrogans Canones Iuris Canonici 1399 et 2318, promulgatum a  
Sua Sanctitate Paulo VI die XIV octobris anno MCMLXVI; deinde editum est iussu ipsius Suae  
Sanctitatis, propterea iam non est illicitum divulgare scripta de novis apparitionibus, revelationibus,  
visionibus, signis, prophetiis aut miraculis.

Neglecto hoc Decreto Papae Pauli VI, Episcopus meus Dominus + Iosephus (Giuseppe) Orlandoni  
dioecesis Claravallensis - Senae Gallicae (Chiaravalle - Senigallia), imperavit mihi ne ostendam  
cuiquam **Revelationes quas etiam hodie accipio**, et non consideravit Revelationes collectas in  
duodecim tomos usque ad diem XII ianuarii 2009, compositis ex 4.942 (quattuor milibus nongentis  
quadraginta novem) paginis manuscriptis in formularum libro, quae continent Revelationes acceptas  
usque hodie per 9 (novem) annos.

Sicut iam nuntiavi Papae Ioanni Paulo II et Vobis, Sanctitas Papa Benedicte XVI, Primam  
Revelationem Sanctissimae Trinitatis accepi die VII aprilis anno iubileo MM, in prima feria sexta  
mensis dicata Sacro Cordi Iesu, paucis diebus ante Pascham.

Sicut docet Ecclesia Sancta, anno MCMXCV exercitium « primarum feriarum sextarum mensis Sacro  
Cordi Iesu dicatarum » explevi.

Sanctitas, *multi Sacerdotes Revelationes acceperunt obstupefacti et cum amore in cordibus suis.*

*Sacerdotes ipsi probaverunt ea quae in Scriptis continentur, agnoscentes quia omne verbum perfectum  
est, scriptum sine ulla menda.*

SAN JUAN DIEGO  
24 OTTOBRE 2001

## SANCTITAS, HAEC EST PRIMA REVELATIO

Die VII aprilis anno MM - 07.45

Mensis primo veneris die (feria sexta) Sacro Cordi Iesu dicato. Anno Iubilaeo.

“ EX UNITATE...

DAVID... e conspectu tuo evanuerint Filii tui  
nec tu animadvertes hoc.

Galli cantum auscultata... cantare videtur immensum (\*)  
tantum tempora trita... fascinatio cordis infracti  
in alto mari furenti... ex undis quae mundum invadunt...  
impium detectum malumque.

Quippe eum nescis qui loquitur...  
sed calamum sume atque scribe

ex corde sincero et canta... Uno Trinoque Deo hymnum.

Quiesce ad calamum redi... te diligo, amplius ne fleas

Unum simul ter sumus tibi qui ades canentes.

Necesse est dicere...intelligere quidem... etiam cantare...certe gaudere...

Deumque laudare pro amore sincero quem populo donat.

Teipsam per mitte... perge nec fleas  
turbari te scimus!

Quamquam parum novisti nobiscum numquam errabis.

Discere causam tibi non licet

quia Lucem Mysterium amicit.

Communis diei fascinatio...

magna vanescit dies quae moritur...

init sincera dies ac nova

laudes quae canit Deo suo narrans amoris novella

sciens quia tecum Dominus vincet.

Ne legas sed scribe et perge sperare... ita mutabitur mundus

Erit tamquam dies unus quilibet... nec amplius e somno solvetur

erit tamquam dies communis... res homines solitas agent

erit tamquam dies qui moritur quia omnes sepultum ac mortuum eum volunt  
at Ego nunc vivo in cordibus...

at ero postea in vobis qui speratis canendo.

Simul Terram amore morientem faciemus fructiferam

... cantando faciemus Terram tamquam hortum amoris

Scribe... ne cesses in opere nunc... scimus te quaerere quota

quamquam iam sero videtur... potes nunc quidem audire!

Corde perge cantare... numquam ex te decedemus

quae laudes Domino cantas quia in temetipsa diligis Eum

Est amor sincerus quo afficeris

ne timeas... (1) Nos sumus tecum

scimus laborem quo afficeris ...

lacrimas scimus quas Nobis effundis

scimus quod vis bene mundo qui contra tibi non vult.

Et ego sum passus amore... die fascinatio vanuit felici

cum intellexi me amorem sperare sincerum et purum de te

cum noveram iam me tibi dicturum de nitido amore

cum tibi canebam Amorem.

Fatigari te novi...

*at amor te ducit quo tibi Deo tuo sunt laudes canendae  
Scribas tranquille... iam fessum est brachium  
mane nobiscum mundum tuum ne relinquant errantem.  
Quae alii non agunt tu agere potes...  
Amoris sunt Verba... mundi lutum canentia!  
Scire non sat est... sincerus est Amor... Amor te rapit  
Amor te cupit... totam Sibi te cupit.  
Canendo valebis sperare mundum dissimilem huius quem vides  
intellexisti quia vere redeo cito...  
QUIA ILLIC IAM SUM...  
QUIA HIC VIDEO AC DUCO MUNDUM.  
Ascendere potes... si ascendere vis... tecum et omnes conducere potes  
canendum est tibi... etiam laudandum...  
laudes quas agis prosunt Amori Supremo  
qui omnium amorem exspectat... tamen omnes Deum nolunt  
Deus etiam magis perturbat... cum Eum descendere volunt  
ad eos qui Deum canunt... sed eorum Deus in corde non est...  
Parum verum videbitur... vere... tamen nunc scribis pro Me.  
Es sincera, hoc novit tuus NN. <sup>2</sup> quod deperis amore Mei  
qui pergo inspicere cor tuum insanum de Me.  
Tu intellegis amorem Meum in omnes et Mecum res mundi velles mutare  
at mundus Amorem non vult  
nec Veritatem scire... tantum vult sibi blandiri canens et suas veritates.  
Fatigari te novi... te intellego ... sed scias te esse Nobiscum  
hoc scire tibi sufficiat... utique semper potes cantare.  
Hoc scire significat magis Amorem amare  
Hoc scire significat magis Amorem intellegere  
Hoc scire significat hic infra Amorem intellegere.  
Cantare laudes Amori significat cantare Deo tuo.  
Amor qui deest deletur a tua voluntate mutandi res  
hoc Amori non sufficit... nec tuo sufficit cordi... nec vitae quae moritur.  
Aliquid potes mutare cantando... at magis debes orare  
scio officio te opprimi  
novi quia linqures hic omnia quae habes  
fatigari te scio sed aliquid magis potes si vis  
noli mutare quae agis... ita recte aguntur.  
Est amor sincerus quo afficeris...  
si vis... amorem donabis auxilium petentibus  
quoniam in corde eorum non est.  
Fac iter quod melius tibi videtur  
NN. <sup>2</sup> te adiuvabit ut intellegas quae adhuc nescis  
ipse est ille quem Iesus vult Secum... locutus est corde sincero  
amor quo afficitur in Deum etiam est amor in te...  
amor nitidus Dei qui laudes canit tibi  
quae es Conchiglia mundi marini... <sup>3</sup>  
qui sommergere vult quodcumque sibi occurrit  
quia corruptio circumdat Terram quae tecum se vult mutare.  
Adhuc scribe... fatigari te novi... sed niti potes si vis  
laudes canere potes Deo tuo orando ex corde sincero quod habes.  
Bonum est "Confiteor"... sed canendo id recita*

*Quiesce si vis... ultra scribere nequis  
“satis” dic nunc ... amplius si vis intellegere potes.  
Verum est omne quod sentis... somnium non est Dilectio quam sentis  
dictatio est Caritas loquens... mens tua est Mea si vis.  
Cantando sperandum est tibi... tecum est Deus tuus, tu hoc scis.  
Intellegis quod aliquid agere amore tribulationes pati significat?  
Ob amorem quo afficeris magna videbis  
Quae volueris facies.  
Caritatis magna tu facies... Me numquam diligere desinas  
Tecum est Iesus... si vis  
voca Eum cum causam cognoscere voles rerum quas agis.  
Nunc desine... quiesce... iam quietum est cor tuum  
AMOR te exspectat cras gallicinio. ”*

(\*) Abhinc, in scripto exemplari, verba in numerum quendam sonantur, quasi poetice.  
Haec latina translatio simile modum reddere conatur, secundum sonum italicum.

- 1 Angelus dixit Mariae: **ne timeas**  
Idem Iosepho: **noli timere**  
Iesus apostolis: **nolite timere**  
Ioannes Paulus PP. II: **nolite timere** (“non abbiate paura”)  
Sanctissima Trinitas ad Conchiglia: **ne timeas**
- 2 Sacerdos confessor
- 3 quae mundi **Concha** es maris...

SAN JUAN DIEGO  
24 OTTOBRE 2001



**SANCTITAS, HAEC SUNT REVELATIONES ACCEPTAE**  
**die XII ianuarii anno MMIX - 18.25 - Iesus**

*“Cum in Terram revertar, putas, inveniam etiam Fidem?  
Cari filii et fratres Mei...  
hoc quaesivi non quoniam a vobis responsionem volebam.  
Responsionem Ego novi... haec interrogatio est vobismetipsis.  
Vosmetipsos interrogare de hoc debetis serio.  
Iam audio vos dicere:  
« fidem habemus, Domine...  
pagani et idolatrae, ipsi eam non habent ».  
Hypocritae estis. Magis hypocritae quam fuistis heri.  
Omne verbum exiens de ore vestro est irridens et contemnens  
quoniam conamini celare Me id quod a Me non est absconditum.  
Non paganis neque idolatris Reditus Meus reservatus est.  
Istis... cur exspectandus est Reditus Meus  
siquidem fidem numquam habuerunt in Me?  
Cum in Terram revertar, putas, inveniam etiam Fidem?  
Populus Catholicus, ipse in periculo versatur.  
Populus Catholicus, ipse Fidem amisit.  
Factus est tepidus. Accommodavit se ad normas mundi.  
Amisit audaciam perhibendi testimonium de Me.  
Cum inimicis Meis convēnit.  
Semper quaerit dialogum cum Satana  
atque a Satana accipit omnem transactionem ad salvandum vitam suam...  
privilegia sua et prosperitatem suam.  
Ipse Sum... Deus vester Caritatis  
qui docui vos dicere EST... EST... NON... NON.  
Sunt res in quibus transactiones accipere non licet  
hae autem res inveniuntur in Me Iesu.  
Ergo cum agitur de Me in vita vestra sociali et privata  
non licet transigere... numquam.  
Illis autem qui impune quaerunt, in Conspectu Meo  
et in conspectu mundi,  
excusationes pro moribus suis  
compositis ex acceptationibus transactionum continuarum dico:  
« ad Crucem respicite ».  
Crucem ascendi ad moriendum ut Animas vestras salvarem  
propter hoc ipsum quod transactiones non accepi.  
Dixi EST cum EST mihi dicendum erat  
dixi autem NON cum NON mihi dicendum erat.  
Populus Dei... Catholici qui tales se profitentur  
acceperunt nimias transactiones praetermittentes Me...  
praetermittentes Vitam... Veritatem... Vitam.  
Propterea amisistis lucem ad videndum quo eatis  
Veritatemque non agnoscitis  
itaque mortem Animae vestrae obitis.  
Reapse nihil facitis ad mutandum vos...  
actiones solitas factitatis tamquam automata.*

*Nihil aliud facitis quam queri  
etiamque Me reprehenditis propter exitus errorum vestrorum.  
Iterum dico... errorum vestrorum.  
Quomodo succurrere possum populo qui in Me non credit?  
Quomodo facere possum, in Reditu Meo,  
ut Me agnoscant qui in Me non credunt?  
Vana erit expectatio eorum... isti hypocritae numquam Me videbunt.  
Scriptum est:*

*« soli mundo corde ipsi Me videbunt Meque agnoscent».  
Non Ego prodo vos...  
non Ego bella molior  
non Ego abortione vitas insontes interficio  
non Ego vitam vestram brevio, ne die quidem uno,  
non Ego violo Naturam in Caelo... Terra marique.  
Ergo cum Ego ea non faciam... Satana ipse facit ea, cumque eo servi eius  
quoniam Ego Sum... EGO SUM.  
Tepidos autem tamquam vos... qui verbis dicunt se credere Mihi  
sed non faciunt actiones et opera  
Voluntati Meae et Deitati Meae conformia...  
evomo ex Ore Meo... eos reicio a Me.  
Propter ipsam voluntatem huius filiae meae Conchiglia  
adhuc accipitis Verbum Meum  
quod, etsi reprehensionis... est Verbum Salutis  
sed, sicut iam ei dixit...  
Ego loquar cum ipsa usque ad Reditum Meum...  
vos autem Silentium Dei cito experiemini.”*

### **Die XII ianuarii anno MMIX - Maria Sanctissima**

*“ Mamma Maria sum, Conchiglia  
teque duco super Vestigia Filii Mei Iesu.  
Qui ponit pedem suum super Vestigia Iesu  
idem ac Eius iter faciet atque perveniet ad Eum  
et apud Eum... Deus Est.”*

*SAN JUAN DIEGO  
24 OTTOBRE 2001*

*Care Papa Benedicte XVI, Sanctitas,*

per hos annos detractio et iniurias accepi, tamen numquam defendi me ipsam sicut ipse Iesus a me petiit, atque Episcopo Meo oboedii sicut ipse Iesus a me petiit in « Revelatione » diei XXVI iulii anno MMII ex pagina 123 voluminis VI libri cuius inscriptio « Gratus rediisti mi Domine », quam potestis legere posthac:

*“ Nunc, Conchiglia mea... Ego Iesus... qui ex Trinitate loquor tibi... dico tibi:*

*exhibe hoc scriptum Episcopo tuo, filio meo dilectissimo...*

*neque dicas quicquam ad defensionem tuam.*

*Accipe omne verbum quod exiet de ore eius atque oboedi in omnibus quae dicet tibi.*

*Esto docilis et patiens in omnibus et exspecta lucem quam super eum infundam.*

*Oboedientia tua Episcopo quem mihi elegi erit clavis aperiens ianuam iustam*

*ut pervenias ad Sanctum Patrem qui iam novit et probat in corde suo omnia de nuntio Dorsi-Usti.”*

Ergo, Sanctitas, rogatu Iesu, quamquam sum laica nullumque oboedientiae votum emisi sicut Consecrati, pariter Episcopo Meo et Ecclesiae Catholicae oboedii.

Ecce, Sanctitas, Sanctissima Trinitas Sanctae Ecclesiae Catholicae commendavit me.

Quod attinet ad « REVELATIONEM » quam recipio etiam hodie et iuxta rogatum Sanctissimae Trinitatis, de hoc Opere Divino, per omnia edita documenta et libros, certiore feci Sanctam Sedem in Vaticano, Papam Ioannem Paulum II atque Vos, Sanctitas, Papa Benedicte XVI.

**PER PROPHETAS, DEUS SEMPER MONET FILIOS SUOS DE PERICULO QUOD IMMINET HUMANITATI UNIVERSAEQUE TERRAE. NUNC RESPONSALITAS EST SANCTAE ECCLESIAE CATHOLICAE.**

*Care Papa Benedicte XVI, Sanctitas,*

cari Sacerdotes, Episcopi, Cardinales, cari viri Religiosi et mulieres Religiosae,

cari fratres et carae sorores in Iesu et Maria,

Deus benedicat vos

atque Divina Maria, Nostra Domina Guadalupiana vos protegat

in Nomine Patris 🌹

Matris 🌹

et Filii 🌹

et Spiritus Sancti 🌹

Amen.

*Conchiglia*

*della Santissima Trinità*



#### ADNOTATIO

*Conchiglia della Santissima Trinità  
Movimento d'Amore San Juan Diego*

*latine  
latine*

*Concha Sanctissimae Trinitatis  
Consociatio Caritatis Sanctus Ioannes Didacus*

19

CONCHIGLIA - MOVIMENTO D'AMORE SAN JUAN DIEGO - casella postale 99 - 33085 PN - ITALIA

dedicato a Maria Santissima Nostra Signora di Guadalupe, rivolto a Sacerdoti, Carismatici, Scienziati e aperto a tutti gratuitamente.

Roma-Vicenza (Italia) - Messico-Francia-Argentina-Spagna-Alaska-Austria-Bolivia-Brasile-Burundi-California-Canada-Cile-Colombia-Costarica-Croazia  
Ecuador-Egitto-Estonia-Florida-Filippine-Germania-Giappone-Haiti-Inghilterra-India-Irlanda-Islanda-Israele-Lettonia-Liechtenstein-Kazakistan-Kenia  
New Jersey-Nicaragua-Norvegia-Olanda-Panama-Paraguay-Perù-Polonia-Portogallo-S.Marino-Svizzera-Texas-Togo-Ucraina-Ungheria-Uruguay-Venezuela  
e-mail : [movimentodamoresanjuandiego@conchiglia.net](mailto:movimentodamoresanjuandiego@conchiglia.net) - tel. (0039) 333.36.27.194 [www.conchiglia.net](http://www.conchiglia.net) [www.dozule.org](http://www.dozule.org)